id iuris sibi, quod reliquis civibus erat, cui tam molesta paupertas fuit, ut nomen quoque inopia permutaret. Arnaeus enim primo vocabatur, postea Irus appellatus est, id ab administratione nomen consecutus. Vlysses quoque postquam domum rediens paupertatem simulavit, ipsius mala sensit, multa enim patiebatur domi suae à temulentis ministris percussus, et iniuria affectus est, Melanthius calce eum percussit, Antinous scabello petiit, Ctesippus pedem bubulum è canistro corripiens iecit in Vlyssem: adeo paupertas meo iudicio dura est. Praeclare igitur Euripides inquit: Malum esse nihil habere, neque paupertatem nobilitate levari posse. Haud enim facile emergunt, quorum Virtutibus obstat res angusta domi, quippe neque cantare sub antro Pierio, thyrsumve potest contingere sana paupertas, atque aeris inops, quo nocte dieque corpus eget. Fieri enim non potest, aut non facile fit, ut is agat res praeclaras, cui facultates desunt, multa namque per amicos, per divitias, per civilem potentiam tamquam per instrumenta aguntur. Quid quod Sapiens, et Iustus his rebus indiget, si Philosopho credimus, imo et Virtus ipsa ad beatam Vitam minime sufficit, nam corporis Bonis exterioribusque indiget. Mitto hic Pauperes non sibi solum, sed etiam aliis esse molestos, ac onerosos, imo etiam proximis odiosi sunt, nam et fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper et amici recesserunt ab eo. Unde Lacedaemonii Athenienses, aliique quam plurimi, otii, quam paupertatis causam initio orationis nostrae assignavimus, hostes infensissimi, eò quod paupertatem infamem, ac probrosam esse ducerent pauperes omnes è finibus suis proscripserunt, expulserunt, nam eos

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20128r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20128r)